

Admodum R/de Pater,

Ad literas R.V. datas die 15. julii, non ante respondi, quia sperabam brevi me mittere posse ad vos litteras apostolicas; sed res romanae in longum protrahuntur, praesertim uti non adsunt sollicitatores, qui gratias a nobis impetratas expediri curent. Ego quidem statim cum Summo Pontifice locutus sum, et responsum accepi satis gratiosum verbis generalibus; sed secretarius Brevium diu distulit adire Pontificem, et accipere mandatum conscribendi Brevis. Tandem me urgente Pontificem adiit, et legit supplicem libellum, quem ego confeceram, et illi tradideram. Sed cum audisset Pontifex tantum numerum indulgentiarum postulari, omnino negavit, se quidem addere velle ad Breve Sixti V. per se satis amplum. Ita diu expectando, et sollicitando nihil tandem effici potuit; quamvis ego Pontifici prolixè narrassem nobilitatem, et merita personae, tum ratione sui, tum ratione majorum. His valeat R.V. mei memor in sanctis precibus suis. Datum Romae, die 3. Septembris 1615.

Beatissimo Padre

Errico, Barone in Walpurgio, scudiere hereditario dell'Imperio, devotissimo servo et oratore della S/ta V. humilmente la supplica fargli gratia di confirmare un Breve della santa memoria di Papa Sisto V. con l'aggiunta, che si mette nella copia di detto Breve, per consolatione et aiuto spirituale della sua casa et sudditi, che sono atterrati da heretici, et nondimeno per gratia di Dio si sono sempre mantenuti nella santa fede catholica apostolica Romana. Quam Deus etc.